I. GOTHOFREDI
DISSERTATIONES
DVÆ:

De Mutatione & Augmento
MONETÆ AVREÆ.

Ad explicationem Legis 2. *Codice Iustinianeo de veteris numismatis potestate.*

De Functione, & Æqualitate in
MVTVO.

Ad intellectum verámque lectionem Legis 2. π. *de rebus creditis, si certum petetur.*

Ad VV. CC.
CL. SARAVIVM, & CHR. IVSTELLVM, REG. Christianiss. à Consiliis & à Secretis.

Sumptib. Ioannis Ant. & Samuelis de Tournes.

M. DC. LIIII.

2

DISSERTATIO I.

Ad explicationem Legis 2. *Cod. Iustinianeo de veteris numismatis potestate.*

PATIOR dudum, Ampliss. SARAVI, quod ægrè parturientibus vsuuenit cùm integrum fœtum edere non possunt, membratim, artuatim, particulatim extrahi sibi sustinent: Vel, si ominosum istud, facio idem cum lentis debitoribus: cùm ex asse, ἐξ ὁλοκλήρου, vel, vt Tertullianus aliquis loqueretur, massaliter non possunt, vel nolunt, per minutias, annua-bimâ-trimâ, atque vlteriore etiam die, vnciatim nomen expungunt. Hoc tantùm inter illos mèque discrimen intercedit, quòd illi vel propriâ egestate illuc adducuntur, vel, quod quidam dixit; *tricones nummarii sunt, & nulli solvere lenti:* At mihi obstetricantis tantùm manûs officium hactenus desit, ne egregium constitutionum Codicem, quem tot annos, velut saxum ingens, voluo, publici iuris faciam. Inter hæc abs me impetrare non possum, quin parturitionis subinde signa præmittam: singulari aliquâ ἐπιστάσει, ad eas constitutiones siue leges, quas in argumento quotidiano versari video, simul & quæ nondum intellectæ, fœdis interpretationibus oppressæ iacent. Quo quidem ἐπιστάσεως genere nullum æquè frugiferum, aduersus Iurisconsultorum & Pragmaticorum *errores*, qui prauis semel Legum interpretrationibus delusi, eas portentosè aliorsum trahunt, mox inanibus quæstionibus saginant, moléque commentariorum, ceu multâ saburrâ, onerant: sícque ad alios transmittunt, velut sedes materiarum, à quibus longissimè tamen absunt & vara vibiam incunctanter sequitur.

§ 2 In

In hoc verò censu visa mihi pridem lex 2. *Codice Iustinianeo, de veteris numismatis potestate* (quæ procul dubiò è Theodosiano integro eò translata fuit) Nam & ea in argumento quotidiano versatur, puta *de Mutatione monetæ, déque eius proportione ad cæteras species* : Eáque, breuis quamlibet & concisa; hanc ad diem à nullo intellecta est, atque ideò in argumentum passim pessimè trahitur. Quare de eius sententia nunc agere animus est, mearúmque in id cogitationum, non magis conscium quàm arbitrum te ferre libet. Verba legis hæc sunt.

Impp. VALENTINIANVS & *Valens* AA.
Iuliano PP.

Pro imminutione, quæ in æstimatione solidi fortè tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet.

Clarum equidem, agi in hac l. de *Imminutione*; agi de *speciebus*, déque *specierum omnium pretiis*. Manifestum item id, definiri, pretia specierum omnium decrescere oportere pro imminutione quadam. Hæc, inquam, verbis manifesta sunt, verùm obscura omnia intellectu. Quænam enim *Imminutio* illa est? Quænam *solidi æstimatio*? Quid est, *imminutionem tractari*? Quid *tractari imminutionem in æstimatione solidi*? Quid sunt *species* illæ *omnes*? Quid sibi vult vox *fortè*? Quis denique intelligat illam definitionem, *pretia specierum omnium decrescere opotere pro imminutione, quæ tractata fuit in æstimatione solidi*?

Neque certam ea magis Interpretationem accipiunt ex Rubricâ, seu titulo, sub quo hæc lex posita est, *de veteris numismatis potestate*; quæ alioquin prima semper visio seu inspectio legentibus esse debet, quandoquidem titulus ferme Interpretationum clauis est: vti certè lucem inde accipiunt reliquæ duæ constitutiones sub eodem titulo positæ. Et quanquam lex hæc nostra proculdubio pertinet ad Numismatis æstimationem, seu potestatem, & quidem solidi (qui propriè numisma dictus) nihil amplius tamen inde colli-

colligas, quàm quod ipſa lex ſufficit ſeu ſuppeditat. Imò, ex iis, quæ poſtea dicemus, conſtabit, ne ad *Veteris* quidem numiſmatis poteſtatem hanc legem propriè pertinere, quod Rubrica tamen pollicetur. Neque etiam Legis Inſcriptio, vt ea hodie habet, *Iuliano PP.* certius quid confert. Tandem characteriſmus temporis, ſeu annus, quo hæc lex data eſt, ibidem deſideratur. Quæ tria alioquin in obſcura nocte verſantibus haud minimum lucis præbere ſolent. Et verò tria hæc ipſa probè conſtituta, ſeu penſiculata, vnà cum inſcripto Valentiniani Imp. nomine, quod quartum hic arcanum eſt, ad verum huius l. intellectum nos, vt ſpero, poſtea deducent: Quæ tamen omnia ab Interpretibus, quà veteribus, quà nouis, inſuper habita vel ignorata, adde & ſingularum penè, quæ ibidem occurrunt, vocum, quod quintum, arcana ſignificatio minùs explorata, effecêre, vt in hac l. intepretanda, inque vſum ſeu praxim deriuanda, ad metam hanc ad diem omnes hæſerint. Nos compendii rem faciemus, vbi huius æui hiſtoriam initio ſtatim retexuerimus, reſque monetariæ, auri nominatim, ſtatum, retractauerimus.

Igitur tenendum, cùm ante Conſtantinum M. pauciores etiam ſolidos, ſeu aureos, grauiore pondere, &, vt multi iam notarunt, quaternos ferme in vnciam, quadraginta octo in libram auri, cudi mox eſſet, Conſtantinum M. ſtatam octoginta quatuor ſolidorum ſeu aureorum libram effeciſſe, qui ſcilicet ſinguli quatuor ſcripulorum eſſent: Proinde ſolidi ſeptem quatuor ſcripulorum in ſingulas vncias à Conſtantino M. taxati. Quod etiam videre eſt in nummis Conſtantini, quorum ſeni & ſemis hodiernam vnciam æquant, cùm olim quaterni in vnciam ſignarentur; quod iam quoque rectè notauit Budæus. Id verò à Conſtantino M. conſtitutum reperio, eo ipſo anno quo ſynodus Nicæna habita fuit, *Paulino & Iuliano* Coss. A. D. 325. *l. 1. C. Th. de ponderatoribus*: vnde deſumpta eſt lex 1. *Cod. Iuſt. eod. tit.* vbi tamen reſecata eſt ea ſententia, de pre-

tio numeróque solidorum, eò quòd postea imminutus aureorum in libram numerus fuerit; de quo postea: *Si quis*, inquit Constantinus, *solidos appendere voluerit auri cocti, septem solidos quaternorum scripulorum nostris vultibus figuratos adpendat pro singulis unciis, quatuordecim verò pro duabus*. Hac constitutione, quæ ideò ad Rationalem emissa est, Constantinus M. in vniuersum formam illationis auri in fiscum seu in largitiones Principis, eiusque susceptionis, præscriptum iuit. Idq; factum ab eo, non sine aliquo veteris iuris seu moris exemplo: nam & sic olim argenti libra vetus Romana totidem argenteorum erat, puta 84: teste Plinio, *lib.* 33. *c.* 9. Celso, *ep. ad Natalem: & lib.* 5. *c.* 17. vbi pariter ait, in vncia pondus Denariorum septem esse; adde & Scribonium Largum. Sed & nummus olim argenteus, quatuor scripulorum erat, teste Varrone 3. Annalium, apud Charisium. Cleopatras quoque *in Cosmeticis*, δ λυδεῖον ἔχει γράμματα δ. Hæc igitur Constantini M. λογαρικὴ fuit, hic λογαρισμός. Quare, magna fuit Panciroli confidentia, 1. *Variarum*. 66. & post eum grauis Sauoti error, *de re nummaria parte* 3. *c.* 17. *p.* 198. cùm in *d. leg.* 1. *de ponderatoribus*, loco *septem sex* reposuerunt, loco *quatuordecim, duodecim:* qui eâ ratione moti, quòd hæc postea λογαρικὴ obseruata fuerit: Pari errore, quo Valentiniani legem nonnulli deprauârunt, de qua deinceps agendum erit. Cæterùm huc contractum proculdubio aureorum pondus à Constantino M. eâdem ratione, quâ antea ab Alexandro Seuero, teste Lampridio, quòd scilicet vectigalium seu tributorum modum, quæ in âuro inferebantur, contraxisset: vt cæteroquin indulgentiæ eius exempla seu argumenta circa rem tributariam præferunt multæ eius constitutiones, ad quas dicetur.

Certè eodem fine, à Constantini M. temporibus quamplurimi semisses & tremisses aurei reperiuntur (cuiusmodi Alexander Seuerus quoque ediderat, eodem semper fine) de quo v. quæ Sauotus *p.* 3. *c.* 23. & 24. Et hæc de Constan-

tino

tino M. cuius alioquin plures aliæ leges extant circa auream monetam.

Augeſcente verò poſt Conſtantinum M. in dies magis magiſque auri pretio, ſeu, vt Symmachus ait *lib. 10. paulatim auri enormitate creſcente*; vt cæteroquin nummi æſtimatio non eadem ſemper perpetuáque eſſe ſolet, οὐκ ἀεὶ ἴσον δύναται, nummúſque non ſubſtantiâ, ſed quantitate, i. valore impoſititio, valet, quod Iuriſconſultus dixit *leg. 1. π. contrahend. empt.* non naturâ, ſed νόμῳ inſtituto moréque conſtat, vt Philoſophus ait (vnde & quidam νόμιμον & νόμισμα dictum volunt) quémque μεταβάλλειν ἐφ' ἡμῖν ἐστὶν, quadraginta ferme annis pòſt, tertiâ mutatione (quod Petauius etiam rectè notauit, in *Epiphanium p. 436.*) Valentinianus Sen. huius ipſius conſtitutionis, quam nunc explicamus, auctor, nouam λογαρικὴν inſtituit; non pondere aureorum imminuto, verùm extrinſecâ tantùm aureæ monetæ mutatione factâ, eiuſque æſtimatione, & poteſtate, ſeu valore *impoſititia* aucto. Nempe enim ſeptuaginta duos ſolidos in libram auri, & ſic, ſex in vnciam accepto ferri voluit, *l. 13. C. Th. de ſuſceptoribus*: ſeu *l. quotieſcunque 25. Cod. Iuſt. eod. tit. Illud etiam*, inquit, *cautionis adjicimus, vt quotieſcunque certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, & auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra feratur accepta.* Imminuta proinde auri *libra* à Valentiniano σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ, ſic vt ea etſi non ἰσοστάσιος vel ἰσάριθμος cum vetere Conſtantinianeâ foret, ἰσοδύναμος tamen eſſet; vtpote ſeptuaginta duorum ſolidorum eiuſdem ponderis, cuius Conſtantinianei erant, librâ effectâ, cuius eadem æſtimatio eſſet quæ antea cùm libra 84. erat. Valentinianus ergo *Imminutionis* iſtius & νέας λογαρικῆς auctor fuit; quâ videlicet non aureorum pondus imminutum fuit, verùm numerus tantùm ſolidorum imminutus in libram; & ſic libra ipſa imminuta. Quare errant grauiter, qui libram auri ſemper ἰσοστάσιον fuiſſe aſſerunt. Item errant, qui hanc libræ imminutionem tribuunt extremo Imperio, quod ſedem in

§. 4. vrbe

vrbe Constantinopolitanâ habuit, seu Imperatori Constantinopolitano: nam, quod hic haud satis attendit Scaliger, *in postumo de re nummaria p. 65*, Valentinianus huiusleg. auctor, Occidentis Imperium tenebat, etsi pleraque eius arbitrio in Oriente, qui Valenti in Imperii diuisione cesserat, agerentur, & ab eo definita Orientem quoque peruaderent. Contrà, grauis est error auctoris libri, qui depromptus dicitur ex Archiuis Alexii Comneni, quiq; continet Rationale vetus Peræquatorum, νέον & παλαιὸν λογαρικὸν, de pretio solidi in tributis exigendis, vbi ait, παλαιὸν λογαρικὸν, quâ duo & septuaginta solidi in libram auri putabantur, ab Augusto institutam: Quod falsissimum est, vt rectè quoque iam monuit Cl. Salmasius, *in Solinum p.* 808. Nam ne Constantini quidem adhuc ævo ea λογαρικὴ obtinuit: verùm ex Valentiniani Sen. primùm instituto. Sed frequens hic Græculorum error est, quorumcunq; *Augustorum*, id est, Imperatorum, instituta ad primum Augustum referre, atque indè magnas nugas superaddere. Id quod vel Indictionum exemplo liquet, aliisque quæ idem auctor ad παλαιὸν παράδοσιν Αὐγούστου Καίσαρος refert. Ergo auri libræ *imminutio* facta à Valentiniano, auctâ *æstimatione* aureorum: idque pro tertia parte: quæ & ipsa æstimatio stetit sub Honorio Imperatore, vt liquet ex *lege vnic. vtroque Codice, de oblat. votorum*, & deinceps, de quo & Ioannes Citri *in resp. ad Cabasilam*, in MS. meo, *pag.* 152. & cùm antea septem solidi in singulas vncias computarentur, quod ostendimus ex *l.* 1. *de ponderatoribus*, ab hoc Valentiniani tempore sex tantùm computati: vnde iam solidus dictus *sextula* (*sextula* enim est sexta pars vnciæ, auctore Varrone, *libro* 4. *de lingua lat.*) teste Isidoro, *libro decimo sexto originum capit.* 24. Quomodo & Græci ἑξάγιον dixêre, teste Zonarâ, vbi de Nicephoro Phocâ: ἐν δὲ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ χρημάτων ἥττων, ὡς ἔοικε: μέχρι γὰρ ἐκείνου παντὸς νομίσματος ἑξαγίου σταθμὸν ἕλκοντος, ἐκεῖνος τὸ τεταρτηρὸν ἐπινοήσας, κολοβώσας αὐτὸ κατὰ τὸν σταθμόν. Quam ἑξάγιον vocem, quod

+ 2

quod Scaliger *in postumo de re nummaria*, rectè monuit, *pag. 54*. per compendium ita scribebant, ϛάγιον, quod tamen pronunciandum est, ἑξάγιον, errántque qui pronunciant ϛάγιον: est enim litera ϛ ἐπίσημον seu nota τοῦ ἓξ ἀριθμοῦ. Eiusdem ἐξαγίου frequens etiam mentio apud Anonymum *de ponderibus & mensuris*: inter alia, τὸ ἀσσάριον, διμιαῖον ἔχει ϛάγιον ἓν ἥμισυ. Quæ cùm ita sint, apparet de Budæi & Haloandri errore, qui in *d. leg. quotiescumque*, pro 72. duodequinquaginta vel quinquaginta reponendum censebant, propter antiquam videl. aurei æstimationem, quod rectè jam reprehendit Anton. Augustinus, *lib. 2. Emendat.* 9. Quos refutat insuper, præter Honorii constitutionem *de ablation. veterum*, scholion apud Constantinum Harmenopulum *prochiri lib. 3. tit. 17. de usuris, pag.* 265: & Synopsis Basilic. *lib. 56. tit.* περὶ ζυγοστατῶν. Nos ad Valentinianum redeamus.

Factum verò istud quod diximus ab eo, A. D. 367. cùm ipse *Remis* in Gallia versaretur, eâ constitutione integrâ, quæ ad Germanianum Comitem S. L. simul & ad Iulianum Præfectum annonæ data videtur: cuius quidem tria ἀποσπασμάτια supersunt, data ad Germanianum, puta dicta lex 13 *de susceptoribus*: *l. 4. eod. Cod. Theod. de metallis*, & lex 1. *Cod. Iust. de veteris numism. pot.* in cuius tamen postremæ inscriptione peccatum, cùm *Germanus PP.* ibi notatur. Eâ verò constitutione Valentinianus, (quam eâdem occasione promulgauit, quâ suam illam Constantinus, propter tributorum videlicet illationem) Auri solidorúmque potestatem δύναμιν, & proportionem definitum iuit: Quomodo videlicet aurum suscipi, & largitionibus seu fisco inferri deberet, num in solidis, an in massâ, & quid quâ æstimatione, quótque solidi in libram auri, requirerentur, quæ sententia est dictæ legis 13: Quot item vnciæ ballucæ pro singulis libris metallici canonis nomine: de quo est dicta l. 4. *de metallis*: Quinam præterea solidi tradi ac suscipi ab ementibus & distrahentibus deberent, quò pertinet dicta lex 1. *Cod. de vet. numism. potest.* Id inquam omne eâ constitutio-

tutione egit Valentinianus, pretio inter alia aureæ monetæ posito, siue ii suscipiendi fiscóque inferendi essent, siue distrahendi-emendi: Adde & tertio quoque fine, in conuersatione publicâ si erogandi in foro rerum venalium in comparatione seu emptione specierum: quò hæc lex nostra 2. *C. de vet. numism. pot.* pertinet: de qua mox plura. Ex hac interim materiarū cognatione seu affinitate apparet, quàm rectè hæc lex tribus illis argumenti paritate sociãnda videatur, velut vnius & eiusdem constitutionis pars, ac nominatim dictæ legi 13. *de susceptoribus*, quâ vtique solidi æstimatio seu pretium taxatur. Neque quemquam turbari oportet, quòd hæc lex nostra Iuliano inscribitur, tres verò illæ Germaniano Comiti S. L.: Nam, quod aliàs monitum, sæpéque deinceps monendum erit, eadem sæpe constitutio ad diuersos Magistratus emittebatur, eódem exemplo, ἴσῳ τύπῳ seu ἰσοτύπως. vide postea singula capita, ab iis qui ea dissecarunt, diuersis Magistratibus inscripta reperiuntur, prout ea cuiusque Magistratus officio conuenirent. Igitur, quæ capita ad illationis tributariæ susceptionisque formam pertinebant, *Germaniano Comiti S. L.* inscripta reperiuntur: quod verò ad annonam forique pretium spectat, *Iuliano Præfecto annonæ*, mox vt ostendetur, inscrib tur. Quibus ita positis, Consules quoque qui hic intercidere, restituere ex illis tribus constitutionibus facile fuerit, ita, *Lupicino & Iouino* Coss. i. a. d. 367. Nisi verò hæc legum illarum cum hac coniunctio placet, certè hæc post illas statim, eárumque occasione promulgata fuerit, cùm quæri cœpisset de forensi specierum pretio, post *imminutionem* libræ factam, auctámque *æstimationem* solidorum seu aureorum: Est enim alterum, vt postea ostendetur, alterius consequens.

Ex superioribus iam liquet, quâ ratione dicta Valentiniani lex 13. *de susceptoribus*, cum *leg.* 1. *de ponderatoribus*, quæ Constantinum M. auctorem habet, conciliãnda sit. Nempe Principes tantùm & tempora distingui oportet: sub Constantino scilicet libra auri fuit solidorum 84: sub Valenti-

lentiniano Sen. 72: & sic νέα λογαρικὰ à παλαιᾷ distinguenda venit. Non verò lectio earum legum sollicitanda, quod superiùs iam refutauimus. Non item distinctio facienda, vt quidam volunt, inter necessariam & voluntariam collationem, quasi in illa, 84 solidi in libram requirerentur: in hac verò 72 sufficerent: Huic enim distinctioni apertè refragatur dicta *lex* 13. vtpotè quæ in necessaria collatione versans, septuaginta duobus nihilominus solidis libram definit. Neque, quod quidam volunt, separanda libra, quæ in Occidente obtinebat, eáque minor, ab ea quæ in Oriente vsurpabatur, Quod sanè nullo ex loco satis colligas: Imò contrà notare licet, libram auri in vrbe Româ maiorem fuisse, quod ex Symmacho discimus, *lib.* 10. *epist.* 26. *Mille sexcentas*, inquit, *libras auri decẽnalibus Imperii tui fastis deuotus Ordo promisit, vrbanis ponderib. conferendas, id est trutina largioris examine.* Et eò tamen trahunt fermè omnes hactenus, etiam Cuiacius, 17. *Obseru.* 9: & Scaliger *postumo de re numm. p.* 65. libram occiduam, cuius mentio fit in actis Marcellini Papæ, non vno loco; vbi auctor de 72. testibus in synodo Sinuessana de lapsu Marcellini Papæ agens, primùm ita scribit: *Hi omnes electi sunt viri librâ Occiduâ, qui testimonium perhibent, videntes eum Marcellinum sacrificasse.* Item, *Intra hac 72. testimonia &c Quoniam in septuaginta duorum librâ Occiduâ in reparationem surgit annus.* Et post, *Nondum enim fuerat damnatus, nisi numerus secundùm ordinem synodi libra probaret exemplum.* Superioribus, inquam, locis illis, quos dixi, libram Occiduam dici putant, quæ in Occidente obtineret, minorem scilicet, ad differentiam eius quâ in Oriente vtebantur Constantinopolitani. Quomodo aliàs *Occiduum* pro *δυτικῷ* seu Occidentali accipitur, vt apud Claudianum *præf. in lib.* 2. *de raptu Proserpinæ*, *Occiduo ducis ab orbe gregem.* Ego verò malim, *Occiduam* dictam, quæ imminuta à Valentiniano, cùm antea maior esset. Christianis scilicet huius æui scriptoribus & poëtis, ne vetustiora affectam, *occiduum* quoque passim pro imminuto, & quod oc-

cidit. Sic Claudiano *Occiduus sol*. Sic *Occiduæ partes*, Theodosii *Nouella* 2. Sic Prosper,

Quorum animas mundus non tenet Occiduus.

Idem:

Factum est æternum, quod fuit occiduum.

Interim facere non possum, quin secundum illum è superioribus locum Scaligero quoque conclamatum *pag.* 65. hic emendem & explicem, aliter quàm Cuiacio visum dicto loco: *Quoniam*, inquit, *in septuaginta duorum solidorum librâ occiduâ in reparationem surgit annus*. Ait, *annum in reparationem surgere*, i. annum reparari, nouúmque aperiri *in 72. solidorum librâ*, i. in collatione libræ, quæ 72. solidorum est. Respexit enim & imitatus est auctor ille procul dubio Honorii constitutionem *vnicam vtroque Codice, de oblat. votor.* quæ in hæc verba concepta est: *Quando votis communibus felix* Annvs Aperitvr, in *vna* Libra *auri solidi septuaginta duo obryziaci* (solidos septuaginta duos obryziacos) *Principibus offerendi deuotionem animo libenti suscipimus.* Qua quidem etiam constitutione Honorius Imp. vrbanæ trutinæ largioris examen Senatui remittere videtur, contentus ordinaria & communi libra, 72. solidorum. Nos ad Valentinianum, eiusque constitutionem redeamus.

Ergo in Valentiniani facto seu constitutione hæc duo accurate distinguenda sunt: *Imminutio* facta libræ, imminuto scilicet aureorum seu solidorum in libram numero: & sic imminutio facta libræ numeralis, τῆς ὁλκῆς (libra enim est ὁλκὴ νομίσματος, ποσότης καὶ ἀριθμός) Contra verò aucta *æstimatio solidi*, seu *auri enormitas creuit*, vt loquitur Symmachus *lib.* 10. *ep.* 42. & sic æstimatio eius extrinseca mutata, vtpote cùm ex eius iam instituto 72. solidi tantundem præstarent, quantum antea 84. sic vt quod ponderi seu numero, σταθμῷ καὶ ἀριθμῷ deesset, potestate, æstimatione & valore seu δυνάμει pensaretur. Vnde iam patet, quid sit in hac l. nostra *imminutionem tractatam*, seu factam *in æstimatione solidi*. Nempe *imminutio*, & *æstimatio* de diuersis

dicuntur,

dicuntur, non de eodem: quæ capitalis alioquin hic fraus fuit, quâ Interpretes in errorem inducti sunt hanc ad diem omnes, qui opinati sunt in specie huius l. imminutam æstimationem extrinsecam aurei. Non, inquam, id dicitur, æstimationem solidi imminutam, verùm *imminutionem factam* IN *æstimatione solidi*, id est per auctam æstimationem solidi seu aurei, libram imminutam. Nempe auctâ solidi æstimatione seu potestate, eo ipso, seu per hoc, & IN hac æstimatione, imminuta fuit libra auri. Et sic neque imminutio solidi hic indicatur; neque omnis imminutio, verùm imminutio libræ per numeri solidorum imminutionem, auctámque solidi æstimationem. Quò pertinet etiam vox FORTE; *Quæ in æstimatione*, inquit, *solidi fortè tractatur*. Quæ vox, nisi ea à Triboniano addita, non dubitatiuè, verùm declaratiuè, ἐξηγητικῶς accipienda est: quo sensu ea passim in iure vsurpatur: Ac si diceret Imperator, vel saltem Quæstor eius; pro eâ imminutione, libræ scilicet, quæ *nimirum* facta fuit per æstimationem solidi, auctam scilicet: Ad excludenda nimirum alia imminutionum genera. Facta verò hæc imminutio est, vt hic dici videtur, *tractata*: Tractandi certè vox quoque τῆς λογιστικῆς propria est: sic enim rationes publicæ tractari dicuntur, apud Ciceronem *alicubi*, Firmicum, *lib. 7. c. 6.* & apud Interpretem Cod. Theod. Mensarum & fœnerationum negotia tractari, apud Firmicum *lib. 3. c. 8.* & *lib. 4. epist. 7.* Imò *tractatores* [illegible] λογισταί calculones apud Sidonium, *lib. 4. ep. 11.* & *tractatores* de his qui ratiocinia publica tractant, *l. 3. Cod. de [illegible] largit. tit. l. 1. Cod. de exsecut. & exact.* & Nouella Theodosii 2. *de patrim. rei dominicæ* l. 1. Sic ζυγοστάτης passim in *Nouell. Iustin.* qui annonas & tributa publica computabat & tractabat: vt & tributi tractatoriæ, in *Nouell. [illegible]*. Denique *tractare* est, quod Græcis λογαριάζειν, computare rationes, calculum subducere. Ergo *imminutio tractata* dici videatur in æstimatione solidi, id est, subducta, taxata, definita. Quanquam putet [illegible], hanc vocem,

tractatur, pertinere ad tractatum qui habitus in consistorio Principis, & eandem imminutionem æstimationemque quæ ibi taxata subductáque fuit: Quomodo in *l. 9. C.Th. de ann. & trib.* dicitur, *ratione tractata.* Tandem voce *tractatur* indicari videatur conuersatio, vsus publicus; ac si diceret Imp. pro imminutione quæ in vsu publico iam exercetur, impenditur. Sic nummus in conuersatione publica tractari dicitur *l. 2. C.Th. si quis confl. pecun.* pecuniam in negotiis tractare *leg. septimâ, de veteran.* Certè, quicquid hac lege dicitur de Imminutione, quæ in vsu publico fuit, déque Æstimatione solidi, id omne à Principe factum oportet; vnde & Glossa *dic tractatur, à Principe, vel eo qui habet auctoritatem:* Minùs enim admitto notam ad eum locum; *dic potiùs recepta est.* Nempe enim de iusta imminutione, déque publicâ solidi æstimatione hæc lex est, quæ à Principe facta est tractatu habito: vt cæteroquin cura hæc in Principis solius potestatem concessit, non verò de iniusta, quæ per belli, aut famis necessitatem inuecta, vel commerciorum abusum, seu priuatorum cupiditatem seu auaritiam, monetam comparantium, mercatorum, opulentiorum, campsorum, argentariorum, collybistarum, collectariorum, κερματιστῶν: vel per inclinationem aut decrementum inferioris monetæ. Quæ alioquin causæ quoque sunt, ex quibus moneta vel augetur vel imminuitur, quæ cum hac l. nil commune habent.

Et sic perspicuum, ni fallor, iam intellectum habemus antecedentis, quod hac l. continetur; sequitur consequens: vbi continentur tria: Primò, subiectum, *species* scilicet: dein, definitio ipsa; nempe *pretia specierum decrescere oportere:* & quidem, quod tertium, *pro imminutione æstimatione que solidi.* De singulis ordine.

Primo loco videndum est de subiecto quid per *species* hic intelligendum sit. Hac igitur voce accipiendæ sunt merces, speciésque fermè annonariæ: Quomodo etiam ea in *l. 2. C. de commerciis* vsurpatur, & in *l. 26. §. 1. C. de vsuris* vbi

vbi rectè Græci *χάρπους* vertunt: & apud Hieronymum *in Ezechielem*, *lib. 6. c* 18. *fol.* 206. Quarum quidem specierum aliæ fisco pendebantur, quo sensu sæpe *species* in iure accipiuntur: aliæ verò in foro venales habebantur. Et priores tamen sæpè adæratæ largitionibus inferebantur, id est auro contrà æstimabantur, taxabantur; quo sanè casu adæquationis istius, (quæ Græcis *ἐξαργυρισμὸς* vel *ἀπαργυρισμὸς*) modus & proportio proculdubio ad pecuniæ æstimationem inibatur. Et hanc tamen adærationem idem Valentinianus in canone vrbicario non admisit: contrà, annonas in ipsis speciebus inferri voluit, non verò adærari seu apochari; *l. 8. C. Th. de annona & trib.* & *l.* 1. 2. *tributa in ipsis speciebus.* Quo argumento putet quis, adærationem, de qua hac l. agitur, seu pretii proportionem, non pertinere ad canonem vrbicarium, seu annonam quæ vrbi Romæ inferebatur, verùm ad species quæ in foro venales proponebantur. Quod Græcis etiam placuit synopsi *Basilicωn*: *lib. 54. tit. 18.* vt rectè notatum à Parente meo: *κατὰ τὴν μείωσιν τοῦ νομίσματος καὶ τὸ τίμημα τῶν ὠνίων μειοῦται.* Qui tamen imminutionem, qua de hac l. agitur, perperam accepêre de imminutione aurei, cùm contrà, vt suprà demonstratum est, ea sit de imminutione libræ, è diuerso de augmento aurei seu solidi. De harum igitur specierum pretio, seu proportione ad aurum, est hæc singularis admodum lex: Quâ causâ, quod notari cupio, inscripta hæc lex *Iuliano*, non *PP.* vt perperam præferunt hactenus editi Codices, verùm, quomodo hic emendandum, *PF. annonæ* scilicet, vt discimus ex *l. 2. C. Th. de canone frum. vrbis Romæ*, quæ data est A. D. 366. vbi inscriptio disertè præfert, *ad Iulianum Præf. annonæ*: in qua etiam ipsâ l. agitur de speciebus annonariis scil. vrbis Romæ ad Portum vrbis aduectis. Nempe enim Præfectus annonæ & canoni frumentario vrbis Romæ præerat, vt infinitæ leges docent, imò & scriptores alii: & iuxta Præfectum vrbis cura ei incumbebat tuendæ ciuilis annonæ; & vt iusto pretio species in foro venderen-

tur, *l. 1. Cod. Th. de contrah. empt. l. 1. C. Iust. de off. P. V.* corporibúsque præerat, quæ ad annonam vrbis pertinebant, veluti nauiculariis & pistoribus.

Nunc de ipsa huius l. definitione: Definitur scilicet *pretia specierum omnium decrescere oportere, pro imminutione quæ in æstimatione solidi tractata fuit.* *Proportio* nempe hic continetur specierum ad aurum. Aliæ enim constitutiones sunt, quibus sancita reperitur proportio auri ad alia metalli genera, veluti ad argentum & æs, de quo tituli sunt, vtroque Codice, *de argenti pretio quod thesauris infertur,* & *tit. de æris pretio:* item περὶ ἀποχῆς auri, i. quot aliis minutis speciebus argenti solidus mutaretur, de quo vide Symmachi epistolam *lib.* 10. & Nouellam Valentiniani inter Theodosianas 25. Quænam igitur proportio specierum seu pretii earum ad aurum hic sancitur? Pro *imminutione*, inquit, *quæ* in *æstimatione solidi tractata fuit*: vbi vox pro significat modum seu proportionem, κατὰ μείωσιν, inquiunt Græci: ac si diceret, pro ratâ seu proportione imminutionis illius, & æstimationis solidi. Vnde iam manifesta & perspicua iuris forique definitio seu decisio eruitur, *Pro proportione imminutionis factæ* ἐν τῷ ὁλκῇ seu ἀθροίσματι, *práque ratâ æstimationis auctæ solidorum,* seu aureorum qui libræ ὁλκὴν efficiunt, *per consequens* qvoqve *specierum omnium annonariarum, rerúmque adeò seu mercium venalium, in foro pretia decrescere oportere*; vt cæteroquin nummus seu pecunia mensura est, μέτρον in emptionibus venditionibus, & σύμμετρα ποιοῦν καὶ ἰσάζον, seu μέτρον καὶ μέσον κοινὸν πάντων, &, quod Philosophus dixit, μετρεῖται πάντα νομίσματι: denique mercium æstimatio in pecunia fit *l.* 42. *π. de fideiuss.* Quod vt de cæteris nummis rectè dicitur, ita nominatim de *Aureo*, qui vt cæterorum nummorum, qui ei subseruiunt, ita & pretii forensis primum, vt sic dicam, mobile est, normáque veluti seu regula monetarum, atque adeò commerciorum omnium.

Huius verò proportionis exemplum, seu casum illustrem

propriúmque, ſuppeditat nobis ſingularis eiuſdem Valentiniani Imp. conſtitutio, quam vnus, quod ſciam; Suidas memorat, ex vetuſtiore aliquo ſcriptore, *in voce* Μάρτιος: quam & ipſam huic noſtræ, tribúſque illis, quas ſuprà memoraui, cohæſiſſe, haud temerè quis putet. Τοῦτο δὲ ἐνομοθέτησεν Οὐαλεντινιανὸς πιπράσκεσθαι τὸν σῖτον μοδίους ιβ' τοῦ Νομίσματος, μηδενὸς ἀντιλέγοντος. i. *Iſtud verò lege ſanxit Valentinianus, vt modii duodecim frumenti ſolido venderentur, nullo refragante.* Et ſubjicit: ὅθεν τις ναύτης τοῦτο μὴ πωλήσας τὴν δεξιὰν χεῖρα ἀφῃρέθη. Vbi vides etiam illa, μηδενὸς ἀντιλέγοντος, i. *nullo refragante*: quomodo idem Valentinianus in eodem rei nummariæ argumento dixit *in l. 1. C. de vet. numiſm. pot.* nihil omninò reſtagationis oriatur: Quomodo Valentinianus Tertius, *Nouellâ* inter Theodoſianas *de pretio ſolidi* 25, ſolidum integrum recuſari vetat, vel refutari: Valens dixit, omiſſâ fruſtratione, *leg. 8. Cod. Theodoſ. de falſa mon.* & Maiorianus in Nouella 1. *de Curialibus*, in eâdem re, ne quis calumnioſæ reprobationis obtentu recuſet: & *in l. 11. Cod. Theod. de ſuſceptorib.* dicitur nullam debere eſſe cauſationem. In hac, inquam, Valentiniani conſtitutione, quam Suidas memorat, apertiſſimum huius proportionis pretii ſpecierum ad aurum, quæ hac l. ſancitur, exemplum ſeu caſus continetur. Nempe enim antea, quo tempore libra octoginta quatuor ſolidis conſtabat, deni tantùm modii ſolido vendebantur (extrà quàm æſtate) Quod diſcimus ex Iuliano Imp. *in Miſopogone circa finem*, p. 109. 110: vbi jactat, ſeſe Antiochenſibus, cùm alioquin deni modii ſingulis ſolidis vendi ſolerent; ex fiſcali tritico quinos denos vnico ſolido vendidiſſe. Ἔδωκα τῇ πόλει πραττόμενος ἀργύριον, οὐ κατὰ δέκα μέτρα, ἀλλὰ πεντεκαίδεκα, τοσοῦτον ὅσον ἐπὶ τῶν δέκα πρότερον. εἰ δὲ τοσαῦτα μέτρα θέρους ἦν παρ' ὑμῖν τοῦ Νομίσματος, τί προσδοκᾶν ἔδει τηνικαῦτα, ἡνίκα φησὶν ὁ Βοιώτιος ποιητὴς χαλεπὸν γίγνεσθαι τὸν λιμὸν ἐπὶ δώματι (δράματι) ἀφ' οὗ πέντε μόγις καὶ ἄλλως τε καὶ ἀγαπητῶς, ἄλλως τε καὶ τηλικούτου χειμῶνος ἐπιγινομένου. Et mox. Καίτοι τις μέμνηται παρ' ἡμῖν ἐνθουμένης

 τῆς πό-

τῆς πόλεως πεντεκαιδεκα μέτρα σίτου ἀγορασθέντα τοῦ χρυσοῦ. Hæc, inquam, ita eo tempore obseruata, vt deni modii solido venderentur, cùm vncia auri septem solidis, libra verò 84 constaret. At postea vbi à Valentiniano libra imminuta, & æstimatio solidi aucta fuit, duodeni iam modii solido venditi: & si tum deni modii solido venderentur, iniustum id pretium habitum. Quare Ammianus Marcellinus, sub hoc ipsomet Valentiniano, triennio fermè post hanc l. *lib.*28. notat, Hymetium, *denos modios frumenti singulis solidis Carthaginensibus, victûs inopiâ iam lassatis, & indigentibus vendidisse.* Et ita quidem interim hæc distinguenda sunt, non vt amicus meus vir doctissimus, qui indistinctè prodidit, caritatem annonæ olim fuisse, cùm decem modii Romæ solido vænibant; id enim verum tantùm est, postquam libra ad 72. solidos *imminuta* redactáque fuit, auctâ *solidi æstimatione*: non cùm 84. solidis constabat. Hac proinde iam facti specie seu casu, ex Suidæ loco, neque meliùs, illustrari poterit deinceps hæc Valentiniani lex nostra, quâ definitur, *Pretia specierum decrescere oportere, pro imminutione quæ in æstimatione solidi tractata*, seu taxata, factáq; fuit à Principe, & quidem Valentiniano: Qui idem Princeps specierum pretia solenni constitutione suâ definitum iuit: cuius mentio fit *l.*22. 23. *C. Th. de erog. mil. ann.* Vide & *leg.*10. *eod. tit.*

Valeat proinde iam *Pylei* veteris Interpretis sententia, qui de solidis argenteis hîc agi putauit: cùm de aureis hæc lex perspicuè sit, qui & propriè *solidi* dicti.

Valeat *Accursius*, seu Glossa, & post eum *Andreas*, cum interpretatione sua, qui hunc sensum huic l. affingunt, aureos, qui sunt pretia rerum, pro minori summâ accipi, cùm dantur pro pretio cuiuslibet speciei. Quod & ipsum Oedipo & coniectore opus habebat. *Ioannes de Platea* ita edisserit. Quòd si Princeps minuat pondus aureorum, ipsos aureos debere accipi qui sunt pretia rerum pro primo pondere, vt sic quod constituebatur in primordiali pondere, intelli-

intelligatur ftatur in pondere variato in plus vel minus. Vel ita: Si nũmi minori pondere habeantur, oportet quòd eorũ pretiũ minuatur. *Lucas de Penna* ita effert: Si aurei minuantur pondere vel in tenuta de mandato Principis, amodò pro minori fumma recipiuntur, & fic diminuuntur aurei ficut à principio defcriptionis: quafi dicat, ipfis aureis diminutis, & rerum pretia fub eis diminui. *Bartolus* ita, cuius fummarium etiam velut receptum iam pro argumento huic l. infcribitur, minui æftimationem rerum quoad florenos v. g. minuũtur, floreno imminuto: feu, fi pretium certæ monetæ minuatur, neceffe effe quod fingularum rerum pretia refpectu eiufdem monetę tradenda minuantur. Quam interpretationem fequitur quoque *Nicolaus Spinelli* de Neapoli, Pretium, inquit, cuiuflibet rei decrefcit pro ratâ, ficut decreuit aureus. *Couarruuias* de *mutatione moneta cap.* 7. ita effert, quòd minutâ æftimatione folidi, minuitur æftimatio rerum quę traduntur ad folidum: ficut itidem contingit, vbi ęftimatio monetę augetur & crefcit: nam eâdem ratione crefcunt pretia rerum omnium, quę eâdem monetâ emi folent, quomodo etiam notauit Angelus, *in l. Paulus ff. de folutionib.* Purpuratus *in l. cùm quid. ff. fi certum petatur. n.* 171. Quid *Cuiacius*, fummus iuris antiftes? Et is quoque, notis *ad eam leg.* & ad Pauli 28 ad Ed. ad *l.* 2. §. 1. *de reb. cred.* cafum ponit in æftimatione feu poteftate aurei imminutâ, remq; ita euolutiùs explicat; fi diminuta fit aureorum poteftas, nihilominus debitorem liberari totidem nummos reddendo eiufdem formæ & qualitatis. vel ita: Si, inquit, venierit res xx aureis, & ante numerationem pretii imminuta fuerit aureorum æftimatio, imminuetur & rei venditæ pretium: nam xx aureos præftando emptor liberabitur, etfi non tanti fint folutionis tempore quanti contractûs. Mox argumento à contrario definit, fi ante numerationem aucta fuerit æftimatio folidorum, augebitur & pretium rei venditę: Cafúmque etiam ponit in mutuo locatione, & taxtione rerum feu mancipiorum legibus de-

finitâ. Verùm hæ interpretationes omnes, vt & Ant. Fabri, *de variis nummorum solutionibus*. qui & ipse hanc l. accepit de imminutâ aureorum æstimatione, triplici ratione vitiosæ sunt: Nam neque de imminutâ æstimatione solidi hæc lex est; neque de mutatione monetę medio tempore inter contractum & solutionem: tandem neque de minuendo pretio rei iam antè venditę: Verùm immò hæc lex est de auctâ ęstimatione solidi, ídque ante contractú, ac proinde de minuendo pretio specierum tempore contractûs, ob auctam æstimationem solidi. Tandem neque hîc agitur præcisè de emptione ad solidum: quid enim si minùs solido species constet? Sanè & hîc minuetur pretium, puta vt minùs pręstetur minoris monetæ quæ sub solido est, & solidum efficit per κερματισμῶν.

Valeat *Dyni* interpretatio, qui casum ponit in imminutione monetæ per multiplicationem numeri: v. g. si primò quatuor aurei faciebant vnciam, & Imperator minuat, vt quinque faciant vnciam, oportet augeri pretia rerum: & sic *decrescere* pro crescere accipit. Nam imò contrarius casus hîc ponendus est in auctâ æstimatione solidi, & imminuto aureorum numero in vncia, vt antè ostendimus. Et quid ineptius, *decrescendi* vocem accipere contrario sensu pro crescere?

Valeat *Hotomanni* interpretatio, 15. *Illustrium*, qui *specierum* nomine in hac lege, non res cuiusuis generis, sed potiùs species monetę & pecuniæ accipiendas tradit: hoc sensu, vnà cum aurea gradatim reliquas monetas pro ratâ cuiusque portione decrescere. Nam, vt antea ostendimus, *specierum* appellatione hîc res annonariæ, vel, *alia* intelligenda sunt; & *pretia specierũ* non sunt pecunię, sed ęstimatio specierum.

Valeat *Balduini* intellectus, qui non tantùm Constantini legibus hanc quoque perperam connumerauit, quod Contius quoque iam rectè obseruauit, & Imperatori Constantinopolitano tribuit, sed etiam hanc huic legi sententiam affixit: Nempe si vnà cum solidi æstimatione imminuta

fuerit

fuerit omnium aliorum nummorum æſtimatio, aliarum quoque rerum omnium quæ nummo æſtimantur, pretia imminui atque decreſcere, ſicut & contrariâ ratione creſcunt & augeri debent: ſi verò vnius alicuius generis, veluti ſolidorum, æſtimatio imminuatur, reliqui verò nummi alterius generis ſuam retineant poteſtatem, non conſequetur pretia creſcere. Eamq; ſententiam pluribus adornat, & ab ingenioſiſſimis hominibus accepiſſe ſe ait. Et certè hæc quoque Molinæi ſententia fuit, *de contractibus q. 95. nu.* 716. Nam, vt dixi, neq; de imminutâ ſolidi æſtimatione hîc agitur, neque de imminutâ æſtimatione aliorum nummorum *vnà* cum ſolido, verùm de imminutâ librâ numero ſolidorum, ob auctam ſolidorum æſtimationem: Tandem *imminutia IN æſtimatione ſolidi* facta vel *tractata* hîc dicitur, non quòd vnà cum æſtimatione ſolidi alii nummi imminuti fuerint, verùm quòd libra imminuta fuerit numero ſeu pondere, ob auctam ſolidi æſtimationem: id enim eſt IN: non vt ſignificetur duplex imminutio, ſed vt vnius imminutionis modus indicetur per, vel ob æſtimationẽ ſolidi auctã.

Et ſic apparet, nullam non huius l. vocem prauis interpretationibus hactenus fœdatam. Nos verò tandem veram hujus legis ſententiam hac paraphraſi adornemus, ſeu ſummario includamus: *Pro ratâ, ſeu pro proportione libræ auri, numero aureorum imminutæ; ob, ſeu propter æſtimationem nominatim aureorum auctam, omnium pariter, per conſequens, ſpecierum annonariarum pretia in foro imminui æquum eſſe.*

Viderint itaque deinceps Interpretes & Pragmatici quomodo Legem hanc in vſum rectè deriuare poſſint: nos certè vltro abſtinemus ab iis omnibus, quæ hactenus apud Iuriſconſultos & Pragmaticos hanc in partem admiſſa & ſuperuacua, quia & innumera propè. Illud pro immoto tenendum, hanc legem eſſe de auctâ aurei æſtimatione, ſeu augmento aureæ monetæ, ob auctam materiæ auri æſtimationẽ, & quidẽ tractatu ſeu decreto Principis, quo caſu pretia ſpecierum decreſcere oportet; non verò iniuſtè, quo certè caſu neceſſariò cæterarũ rerum & ſpecierum pretia creſcunt.

DISSERTATIO II.

Ad intellectum veramque lectionem Legis 2. *ff. de rebus creditis, si certum petetur.*

BREVIS hæc erit dissertatio, Cl. & Doctissime IVSTELLE, neque tamen superiori absimilis: Ibi quippe de mutatione monetæ actum fuit, hic de quodam *permutationis* genere etiam in monetâ seu pecuniâ mutuo datâ agetur: Ibi de *speciebus* annonariis dictum fuit, hîc de *specie* quoque tractabitur. Neque vexata minus lex ista quæ mihi nunc proposita est, quàm illa; imò vexatior, quò Digestorum leges à pluribus tractantur, quàm Constitutiones, quæ tribus posterioribus Codicis libris continentur. Sed & cùm Viros Claros ad eam nuper nonnulla commentatos videam, nouâ etiam *Emendatione* propositâ, neque ipse diutius continere potui quæ iam olim ad eam mihi visa, imò & nonnullis iam communicata; quorum ideò te, *Vir amicissime*, conscium facere volui: contestandæ etiam publicè amicitiæ nostræ; vbi si quædam leuiora fortè occurrent, vel alibi obuia; aliò tamen fine vel sensu à me allata perspiciet Lector.

Sententia est Pauli Iurisconsulti, libro 28. ad Edictum, in hæc verba, in *l.* 2. §. 1. *ff. de rebus creditis, si certum petetur.*

Mutui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensura consistunt, quoniam horum datione possumus in creditum ire: Quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem quàm specie: Nam in cæteris rebus ideò in creditum ire non possumus; quia aliud pro alio inuito creditori solvi non potest.

Priora

Priora quidem, vt & postrema, vel duponaiis notissima sunt: at media illa, *Quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem quam specie*, variis interpretationibus, imò & emendationibus, fœdata à præstantissimis quibusque. Nos veram stariam lectionem proponamus: ita quidem, *Per solutionem aequam specie.* Dein paraphrasi totam eam ita illustramus: *Ex his rerum, in quibus mutuum consistit, ea natura seu conditio est, vt* FVNCTIONEM IN GENERE SVO RECIPIANT, id est, *vt res quae eiusdem generis sunt, alias vice mutuā fungentes admittant, altera que adeò alterius vicem subeat impleatque: Quod vtique fit* PER SOLVTIONEM ÆQVAM SPECIE, i. *cùm species, seu res alia eiusdem generis, loco mutuò data, aequali quantitate & bonitate soluitur seu redditur.*

Hęc singula firmari oportet. Primùm ait Paulus, *res eas* RECIPERE *functionem in genere suo*: Vbi *Recipiendi* vox propria & κυρίως est, quā indicatur natura, vis & potestas rei alicuius. Sic enim Vlpianus quoque in celeberrimâ *l. contractus* 23. *ff. de diu. regulis iuris*, dixit, *contractus quosdam dolum malum dumtaxat recipere, quosdam dolum & culpam*: mox quoque subjicit, *rerum communionem & dolum & culpam recipere.* Quibus verbis indicatur, naturam, vim & potestatem horum contractuum id ferre, ex naturâ eorum id esse, naturaliter denique in his inesse, vt idem Vlpianus loquitur, *in l. ex empto* 11. *§.* 1. *ff. de action. empti*: proprium per consequentias dixit idem Paulus noster, *in l. si heres* 5. *in pr. ff. eod. tit.* Quare rectè etiam illa in *d. l.* 23. explicat Theodorus Hermopolites, quod & scholion habet apud Harmenopulum, *lib.* 6. *c.* 2. *pag.* 482. τινα φυσικῶς παρέπεται: Nempe in eâ l. distinctè separantur ea quę naturâ suâ contractibus insunt, ab iis quæ ex conuentione legem accipiunt. Ad eundem igitur modum in hac l. nostrâ *res functionem recipere* dicuntur, id est, suâ naturâ hoc eis inesse, vim & naturam hanc earum esse, vt admittant functionem illam: Licet id specialiter cautum non sit in contrahendo; puta vt res eiusdem generis pari bonitate & quantitate red-

dedit, *l. cùm quid 3. hoc eod. tit. & l. creditorum, 95.* quæ aliàs incipit *debitorum*, vel lex *Paulus* allegatur *ff. de solutionibus.* quia id etenim videtur, id agi intelligitur, hoc est, vi, naturâ & potestate continetur, atque si id nominatim expressum esset, & linguâ nuncupatũ, *d. l. cùm quid ff. eod. tit. de reb. cred.* Denique id per se postulat natura mutui, neq; opus est id cauere, quia ex naturâ id sumitur. Quâ formâ idem Paulus, *in l. 3. ff. 3 de solution.* ex iure sumi ait quod agi videtur: haud planè absimiliter, atque idem Paulus, *in l. 1. ff. de reg. iuris*, dixit, *Regulam fieri, ex iure* QVOD *est.*

Quomodo verò Interpretatio hæc in hoc argumento ex naturâ sumitur? Quia scilicet haud aliter mutuum stare posset, nisi hanc functionem eæ res reciperent; nullus postremùm mutui absque hoc vsus esset. Quomodo pariter in quasi vsufructu proprietas ad legatarium transfertur. *l. 7. & l. vlt. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consu.* & *l. 15. ff. de auro arg. leg.* dominium recedit ab eo qui tradit, res fit fructuarii: *l. vlt. vsufr. qu. cau.* Sic contrà Papinianus, *l. sed si certos 51. ff. de legat. 3.* negat, certos nummos legatos permutationem recipere, nempe quòd natura rei legatæ huic permutationi aduersetur. Et ita quidem hæc *recipiendi* vox rectè accipitur: Quæ tamen ipsa eò quoque pertinere videatur, vt indicetur, *retrò* seu inuicem aliquid capi: sic enim & *recipi pecunia* dicitur: sic in hoc mutui contractu, & quidem in eâdem lege, dicitur, *mutuum damus, recepturi non eandem speciem quam dedimus, sed aliud genus*: Et mox: *si aliud genus recipiamus*, ἀπολαβεῖν Græcis, vt Lucæ *sexto.* Eodemque sensu hac in re *reddendi* vox vsurpata, & apud Græcos vox ἀποδοῦναι. Ergo *res recipere functionem ex eodem genere*, id est retrò recipere. Quomodo discertè Pomponius *in l. prout 80. ff. de solut. cùm re contraxerimus, re solui debet: veluti cùm mutuum dedimus, vt* RETRO *pecuniæ tantundem solui debeat.*

Secundò ait Paulus, res eas FVNCTIONEM *recipere in genere suo* &c. vbi quid *functio* propriè sit, inuestigandum est.

Nos statim veram eius significationem indicabimus, quam & nonnulli rectè viderunt. *Functio* igitur *fungiq;* res vel persona dicitur, pro vicem aliquam seu partes aliquas sustinere, locum subire, obire, implere. Omitto vulgaria, veluti *fungi munere*, *officio*, *dignitate*, *partibus suis*, aliáque id genus, itémque *vitâ fungi*, *diem fungi*. Secretiora quædam ex iure nostro, vel ab iis qui iuris scientiâ imbuti sunt, atque à vulgi vsu semota, afferre simul & explicare nunc libet. Sic *pretia rerum*, non ex affectionibus singulorum, verùm communiter fungi dicuntur, *l. pretia rerum 63. π. ad leg. Falcid.* & *l.* 33. *ad l. Aquiliam*, i. in locum rerum quas restitui oportet, si fortè restitutio fieri nequeat, pretia vicem rei subire: & ita quidem, vt in pretio constituendo ratio habeatur communis æstimationis, non verò priuatæ cuiusdam affectionis: ac proinde ita *æstimari*, quod in *d. l.* 33. additum est. Quare, quod iam ab aliis rectè notatum, errant grauiter, qui vocem *finguntur* ibi nullo sensu, aduersus optimorum codicum fidem, refingunt. Sic quoque *dos fungi functáque* dicitur, apud Paulum, *lib.* 1. *Sent.* & Vlpianum *in fragm. tit.* 6. §. 8. quæ iam vicem partésque suas impleuit, obiit, absoluit, constante matrimonio. Sic collatione dotis, vel munere collationis fungi filia dicitur Vlpiano, *in l.* 3. *π. de dotis collat.* pro quo ibidem ait, collationis onus sustinere: quomodo & Cicero alicubi iungit, *fungi ac sustinere.* Sic hæres fungi vel perfunctus munere, seu muneribus hæreditariis dicitur *in l.* 33. §. 1. *π. de legat.* 2. & *l.* 2. *π. ad SC. Trebell.* qui legata solvit, vt in *d. l.* 2. explicatur. Sic & fideicommissum munere Falcidiæ fungi dicitur, à Papiniano *in l. cùm pater* 77. § 1. *π. de legatis* 2. i. pro suâ parte sustinere, subire. Sic & fungi pœnâ reus, *l. in metallum* 22. *π. de pœnis*, i. subire, sustinere pœnam: Fungi denique pignoribus in vicem satisdationis, *l. prætorii* 7. *π. de prætoriis stipul.* i. pignorum dationis onus sustinere, implere, loco satisdationis. Sic passim quoque Tertullianus, iuris scientiâ plenissimè imbutus: inter cætera, *lib. de pallio*

c. 4. dixit, virum alicui fungi, id est, vicem, seu partes locúmque viri sustinere: & *cap.* 2. munere solemni (mutationis scilicet:) fungi mundum, i. mutationis vices ordinarias subire, sustinere. *Adnationes lib.* 2. *c.* 10. functam Herculi mulierem in somniis: *Libro de corona cap.* 8. Christum hominem functum per communia instrumenta exhibitionis humanæ. *Alibi*, carnem fungi passiones suas. Atque inde iam *functio* hoc sensu: quæ proinde non est propriè solutio, vel illatio, pensio, aut præstatio, nisi si cùm de pecunia agitur, pro antecedenti consequens accipiatur: quomodo sanè *functiones tributariæ*, *annonariæ*, sunt εἰσφοραὶ, τελέσματα; *Fungi* συντελεῖν: & Isidorus, in Glossis, *fungitur*, explicat, *soluit.* Denique functio seu fungi tam de rebus quàm de personis dicitur, cùm illæ vicem aliquam, locúmque, partes, inquam, vel suas vel alienas, subeunt, sustinent, obeunt: Et cùm alterius vice funguntur, cùm alterius locum subeunt, tum id aliquo addito indicari fermè solet. Sic enim idem Paulus dixit, demonstrationem nominis vice fungi, eo ipso libro & titulo, *l. certum est* 6. *de reb. cred.* item, *ead. l.* 6. mutuâ vice fungi, quæ tantúdem præstant. Sic filiusfam. patrisfam vice fungi, in sp. *l.* 2. *π. de SC. Macedon.* Sic igitur & pecunia seu nummus functionem recipere *hac l. in genere suo* &c. pro quo Papinianus, *l. sed si certos* 51. *π. de legatis*, corpora nummorum permutationem recipere dixit: *permutationem* i. ἀμοιβὴν, non verò ἀλλαγὴν aut μεταβολὴν, quæ aliàs propriè permutatio est. Ergo *res*, veluti pecunia, *functionem recipere dicitur in genere suo*, cùm res eiusdem generis alterius vicem subit, permutationémque adeò recipit. Quare rectè omnino Robertus, 3. *Receptarum* 14. cùm ostendit, *functionis* vocabulo, non præstationis, redditionis, vlliúsve pensitationis actum hîc significari, verùm subitionis, sic vt dicamus: Et idem tamen in eo lapsus est, quòd solâ *functionis* appellatione putauit, designari alterius vice functionem: nam, vt dixi, cùm id significandum est, tum aliud quid addi solet. Falsus est

ſus eſt Charondas, 3. *veriſimil.* 13. cùm *fungendi* & *functionis* voces varia ſignificare ait, prout eæ ad res accommodantur: Nam quæcunque tandem res, quæcunque perſonæ, fungi dicantur, non alio ſenſu dicuntur, quàm pro vicem ſubire, partes implere, obire. Et ſic *functionis* vox hîc propria omnino eſt, neque cum alia commutanda: Quod tamen fecit nuper Vir Clariſſ. *de vſuris p.*9.10. & 218. & poſtèa rurſum firmauit *Obſeru. ad ius Atticum cap. 6. à p.* 183 *ad p.* 189. ſuffectâ eius loco voce *ſuffectionem*: quę èſt ὑποκατάστασιν, cùm quid in vicē alterius ſufficitur & ſubrogatur: vt in illo:

Túque aliam ex alia generando ſuffice prolem.

Et Arnobius *lib.* 7. *nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ.* Eo primùm argumento ductus, quòd *functionis* appellatione, ſolutio indicetur, ſeu ſolutio idem ſit quod functio: quo poſito quid opus fuerit *functionem* dicere, cùm Iuriſconſultus mox addat, *per ſolutionem*. Verùm, vt modò oſtenſum eſt, *functio in genere ſuo* in mutuo propriè non eſt ipſa ſolutio, ſed antecedens ſolutionis, vel cohærens ſolutioni, cùm quid alterius vicem ſubit. Neque iuuat quòd addit, *functionem* in tributorum & vectigalium penſionibus potius locum habere, quàm in mutui præſtatione, quomodo certè *functio tributaria* dicitur; neque quenquam *vſurarum functionem* dixiſſe, aut *debiti functionem*. Nam, vt iam oſtenſum eſt, in omni re, & in omnibus iuris articulis, huic voci locus eſt, vbi res vel perſona aliqua vicem aliquam implet, ſeu locum ſubit: ſiue dum partibus ſuis fungitur, ſiue alienis: & quidni rectè dicatur quis *vſurarum præſtatione* ſeu *debiti ſolutione fungi*? Quod functionis appellationem attinet in re tributariâ, vbi ea pro εἰσφορῶν δημοσίων, λειτουργίας; [illegible] accipitur, certè ab antecedenti conſequens ita dicitur: nam functio tributaria ſeu annonaria eſt, cùm quis vicem ſuá implet in collationib. & intributionib. vnde & intributionibus fungi dicitur in *l. filii* 22. §. *vlt.* π. *ad municipalem.* Ergo maneat hîc vox *functionis*, quam & veteres Codices optimi tuentur, & ipſa legis ſententia deſiderat,

 tótque

tótque alia exempla stabiliunt, & tralatitia loquendi consuetudo firmat. Et sic non est hac parte hæc lex sollicitanda, quod nonnulli hactenus fecêre, neque hic locus hac parte contaminatus: Vbi etiam Latinè omnino dictum, rem aliquam functionem recipere *in genere suo*. *Suum genus* est proprium genus, ab alio diuersum. Et sic idem genus, *suum*, scilicet illius ipsius indiuidui respectu; *idem* verò alterius respectu, *d. l. 2. in pr.* & *l. 3. eod. tit.* Sic Minucius Felix, cœlum licèt *suâ* materiâ suspenderit, i. sui generis materiâ. Difficultas tantùm est in sequentibus, quæ medicinam omnino desiderant.

Subjicit nempe Iurisconsultus, res illas quæ in mutuo versantur, functionémque recipiunt, *recipere eam in genere suo, per solutionem quam specie*. Quæ ita hactenus explicant, functionem (alii solutionem dicunt) in genere suo magis quàm in specie in mutuo fieri: ac proinde alii vocem *magis* vel *potiùs* inserunt, quæ certè abest à Noricâ & Etruscâ editione; alii subintelligunt, Græcorum & Iudæorum more, & exemplis aliunde petitis: qualia multa cumulat quoque Fabrotus in *refut. adu. Sal. pag.* 136. 137. omnes verò id γενικῶς, non verò τεχνικῶς accipiunt, quomodo & aliàs sæpe, nempe hoc sensu, in mutuo solutionem fieri in genere, non verò in specie: Quam sententiam amplexati quoque sunt Antonius Augustinus, *lib. 4. Emend. cap.* 8. Cuiacius, aliique deinceps. Verùm hæc interpretatio nunquam mihi placere potuit; quasi solutio in genere & solutio in specie hîc opponerentur. Quare locum ita emendo facili negotio, *in genere suo functionem recipiunt per solutionem æquam specie*. Nempe ita scriptum fuerat, *per solution*E*quam specie*; vnicâ literâ maiore *E* duas literas exprimente, more Florentinarum pandectarum: & voce *equam* citra diphthongum expressâ, vt aliàs in MS. imò & non vno loco in Glossis Cyrilli *in voce* ἴσον &c. Sensus verò apertissimus: nempe functionis in mutuo *modus* & æqualitas duplex hîc indicatur, quod à nemine animaduersum est hactenus.

Prima quidem æqualitas hæc significatur, in mutuo, res functionem recipere *in suo genere*: Nempe, quòd notissimum, in mutuo non eadem res reddi debet, *hac ipsâ l. in pr.* & *§. creditum* 3. verùm ex eodem genere, *l. cùm quid* 3. *eodem titulo*: eiusdem generis, *dictâ lege tertiâ*, & *lege* 42. *π. de iure dotium*, & *l.* 1. *§. re* 2. *π. de obligationib. & action.* ὁμογενῶς, vt alicubi ait Bals. contrà, si aliud genus recipiamus, non erit mutuum, *hac ipsâ l. in fin. princ.* & *l.* 24. *π. de fideiussor.* Vnde & *d. principio* ait Iurisconsultus noster, *mutuum dare nos recepturos non eandem speciem, sed idem genus.* Quod tamen ipsum non ita propriè dictum, verùm ἰσονομικῶς, neque enim propriè *genus reddi* dicitur, sed res ex eodem genere, seu in genere suo functionem recipere res mutuo datas. Ergo *suum & idem genus*, i. res contentæ sub eodem genere, aliud seu alia res in eodem genere, quod præter Glossam etiam Oldendorpius rectè monuit. Atque hic primus quidem in mutuo functionis seu solutionis modus, seu prima hæc Æqualitas versatur.

Alter modus, seu secunda Æqualitas in mutuo, alterum ἴσον, quo videlicet functio hæc peragitur, est, quòd functio hæc admittitur seu recipitur in genere *per solutionem ÆQVAM specie*, seu *æquâ specie*. Quibus verbis indicatur Æqualitas, ἰσότητα & ἴσον quod solvendum venit in mutuo. Nempe in mutuo, etsi non eadem, æqualis certè, par, species reddenda venit, seu solutionem æquâ specie fieri oportet, non tantùm, vt dixi, genere, sed eiusdem quantitatis, *l.* 42 *π. de iure dot.* eiusdem naturæ & qualitatis rem præstari, *l.* 1. *§.* 2. *π. de oblig. & act.* & *§.* 1. *Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως καὶ ποσότητος, Theophilus: vel, vt idem ait, τῆς αὐτῆς οὐσίας καὶ ποσότητος: eâdem bonitate quâ datum: *d. l.* 3. *hoc tit.* non deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, *d. l.* 3. eâdem bonitate quâ datum, *d. l.* 3. alias eius naturæ quæ datæ sunt, atque ipsius ponderis, numeri, mensuræ. Gaius, *Instit. lib.* 3. *tit. de obligat.* 9. eiusdem qualitatis, *d. l.* 1. *§. re* 2. *π. de oblig. & act.* (quomodo pari-

riter in quasi vsufructu eiusdem qualitatis res restituenda. *l. 7. π. de vsufr. ear. rer. quæ vsu cons.*) eiusdem materiæ in aliâ SIMILI re, *leg. oleo* 23. *Cod. de vsuris*, &c. vt habet canon sextus Codicis Africani, in eodem argumento cum *d. lege oleo*. *Si speciem commodaueris* (i. mutuam dederit) *quantam dederit accipiat* : tantundem, *l. Lucius Titius* 24. *π. depositi*, & *l.* 25. §. 1. *eod.* & *l. certum* 6. *hoc tit.* Seneca quoque *de benef.* 6. *cap.* 5. *Omnis solutio non idem reddit, sed tantundem*: retrò tantundem pecuniæ *l.* 80. *π. de solut.* Æquâ specie, vel per solutionem æquam specie, vt *hic* dicitur: & similiter *l.* 3. *ait*, ÆQVE *bonum*. Denique hoc ἴσον est, quod in mutuo explicando vertitur. Sic apud D. Lucam, *cap.* 6. *vers.* 34. δανείζωσιν ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα; quo loco etiam τὰ ἴσα non pertinent ad æquum iustúmque vsurarum fortè modum, quod quidam opinantur: verùm δανεισμὸς ἀπόκν fors æqua indicatur, eámque recipientes opponuntur iis qui mutuum dant nihil ἀπελπίζοντες, i. nihil inde retrò recepturi, vel sperantes, id enim est ἀπελπίζειν: quare loco illo rectè Hieronymus vertit τὰ ἴσα æqualia. Idque est in commune, quod Aristoteles 5. *ad Nicomach. ca.* 7. *in fin.* ἐν ταῖς ἀλλαγαῖς memorat τὸ ἴσον; quod & idem, 5. *Politic. duplex facit*, τὸ ἀριθμῷ, καὶ κατ᾽ ἀξίαν. Æquum porrò, pro æquali passim, vt *æquitas* pro *æqualitas*; sic æquo pretio, *l.* 66. *π. de legatis* 1. *l.* 6. *de extraordin. crimin.* quanquam & ibi pro iusto accipi possit. Et nominatim propria hæc vox est in castigatione: sic æquâ lance, *l. ult.* *π. de ponderatur. l.* 20. *π. de re iud.* *l.* 17. *Cod. de collat.* sic æqua pondera *l.* 18. §. *de eo. π. de dolo*: ἴσος ζυγὸς Græcis, & ἰσορροπεῖν. In emptionibus sæpè quoque pretii æqualitas dicitur ἰσότης apud Aristotelem, & Iurisconsultus quoque *in l.* 1. *π. de contrah. empt.* æqualitatem quantitatis dixit. Quin etiam huc pertinet vel ipsa mutui vox, origine Sicula, vbi μοῖτον idem cum ἀμοιβῇ est, vt μοῖτον ἀντὶ μοίτου, mutuum τὸ ἀμοιβαῖον: vnde & Hesychio, ἀμοιβαὶ ἀντὶ ... : quæ postrema ab aliis alio fine iam notata sunt. Denique ἀνταπόδοσις in contra-

ctibus, ſeu *ἀμοιβαία*, lex eſt, *ἰσότης*: non verò rigidè vel Stoicè ſemper in mutuis donationibus & beneficiis. Ergo in mutuo res ſoluenda eſt, & eodem genere, & æqua ſpecie: *æquâ ſpecie*, i. eiuſdem qualitatis, quantitatis, bonitatis, vt ſic, quæ redditur examuſſim reſpondeat mutuo datæ, par pari reddatur, *αὐτῷ καὶ ἴσον τῷ μέτρῳ*, quæ in prouerbium abiêre, *æquamento* pari, quæ & hîc vox propria eſt. Ex his igitur patet iam, non hîc opponi *ſolutionem in genere* & *ſolutionem in ſpecie*, verùm æqualitatem duplicem hîc indigitari, puta, ſolutionis in *eodem* genere, & ſolutionis in *æquâ* ſpecie: hoc ſenſu; In mutuo & eiuſdem generis rem reddi oportere, & æquali ſimul ſpecie ſeu bonitate & naturâ. Ac proinde *æqua ſpecies*, ſeu *ſolutio æquâ ſpecie* hîc opponitur *eidem ſpeciei*, quæ initio eiuſdem legis dicitur: *Non eadem* ſcilicet ſpecies in mutuo reddi debet, ſed *æqua* ſpecies. Imò poſſit & *ſpeciei* quoque vox hîc accipi pro formâ, figurâ, naturâ, corpore, conditione rei: Sic idem Paulus eodem libro *dict. l. 6. certum eſt cuius SPECIES vel quantitas &c. oſtenditur.* Et eodem rurſum lib. *in l. 27. π. de condict. ind.* non *exiſtimationem ſoluentis eadem ſpecies repetitionis ſequitur.* Et hic ſenſus fuerit, res in mutuo aliâs dandas æquâ naturâ, conditione, qualitate, ex iis ſcilicet *quæ communi ſpecie continentur*, vt loquitur Vlpianus *in l. cùm Stichus 29. π. de ſolutionibus:* quam legem alioquin nobilem fecêre Cuiacii & Roberti controuerſiæ, *lib. 2. cap. 21.*

Atque ita de verâ huius Legis lectione, ſimul & de genuinâ eius ſententiâ, liquere puto: aduerſus nuperam emendationem, variáſque admodum aliorum Interpretationes: cuiuſmodi eſt Alciati, *ad hunc ipſum* §. *n.* 2. & *lib.* 2. *Paradox. cap.* 20. Zaſii, Vaconii à Vacunâ *lib.* 3. *declar.* 46. *nu.* 5. Duareni, 1. *diſput.* 14. imò & quadantenus Roberti 3. *ſent. c.* 14. & Donelli *ad hunc ipſum* §. Quorum ſententias referre prolixum foret. Nos enim ad alia feſtinamus; neque te potioribus inſiſtentem morari diutius velim. Vale Vir Doctiſſime, méque amare perge.

Finis.